



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

98.  
487  
a

EPITALAMIA.  
VIRO ET VIRTUTE  
ET DOCTRINA PRÆDITO  
DN. MARTINO ZELIO, CVRIÆ  
secundæ in illustri Soroborum Schola præfe-  
cto, in matrimonium accipienti honestis vir-  
ginem Emerentiam ANDREÆ  
VVOLCKMARI civis o-  
lim Servestani F.

*Scripta ab Amicis.*



SERVESTANÆ,  
Excusa Bonaventura Fabro, Anno 1593.

ΕΠΙΟΔΑΜΙΟΝ

**V**ra subire tori cura est cui dulcia casti,  
 Calicolum Regi quod placet ille facit.  
 Nam DEVS instituit sacrati fœdera lecti,  
 Scriptura quod nos calica verba docent,  
 Ille vagas flammâs, ille execratur amores  
 Illicitos, pena quos graviore premit.  
 Ergo tibi, Martine, sacras vir culte per artes  
 Gratatur versu nostra Thalia breui.  
 Quod pia iussa sequens summi Rectoris olympi,  
 Coniugij casti vincula blanda subis.  
 Et loquam summum precor, ut tua capta secundet,  
 Atq; beet larga teq; tuamq; manu.  
 Vt natos multos numerantes atq; nepotes  
 Vivatis Pylis secula longa senis.

M. Balthasar Kisevvetter I. S.

**H**æbe quærenti memora suaves  
 Cur Amor flores teneat sinistra,  
 Dexterâ piscem, faculis, pharetrâ  
 Orbis & arcu?  
 Phidia finxere manus celebres  
 Sic Deâ natum, fabricam patentis.

Vs

Vt regat mundi, Oceanoq; solus

Numine praesit:

Quid ferus non praestat Amor? valentes

Cæsij vires superat leonis,

Quippe succendit superis feroces

Sapius ignes.

Sic genetricem Latius Lyæi

Iupiter Bacchi peramat, cubantem

Marte cum saevo reperit Dionem

Lemnius heros.

Absit hac longè, pereatq; pestis:

Namq; si fortes subigit leones,

Et Deos audet levibus Cupido

Ledere spiculis.

Annè victrices moderetur artus

A luto & massà fragili? renatis

Imò, qui cura Domino (nefandum)

Reia neçtet.

Sanctior quis psalmographo Davide

Fungitur vità? Salomone quisnàm

Cautior? maxilligerum valebit

Vincere quisnàm?

Hi tamen dira Veneris sagittas,

Et pharetrati celeres Amoris.

A 2

Sin-

Singuli sensere faces, & imo  
Pectore flammam.

Ah Dionæas faculas, pharetram

Ah venenatis jaculis refertam

Tolleret mundo penitus corusci

Rektor olympi!

Celitus dono Nemesis severa,

Sævane regnet thalamum Cupido,

Mittitur virtutis Amor, priore

Fortior illo.

Ipse succendit cupidis salubres

Mentibus flammam, quibus ad Tonantis

Tendimus sedes, Sædosq; doctas

Palladis artes.

u Ecce! promissum novus Hymenæum

Sponsus intrabit, Domini secutus

Fussa, dum sacris dedit absq; fine

Tempora libris.

Igne succensus perhonesto amicam

Hic petit, sævas pueri sagittas

Quo probe vincit, vetitum furorem

Igne cremando.

Ergò nunc insto precibus, maritis

Faxit inceptum Dominus, perenne

Lucidos

Lucidos praestet foculos, nec absit

Copia cornu.

Non Eris castum thalamum, nec ullus

Zoilus turbet, tribuant benigna

Longa, Martino & socia, Sorores

Stamina vita.

Gregorius Gutiahr. S. I.

**D**urior ut saxis ille est, scopulisq; marinis,  
Ferroq; multo durior  
Qui, tentans alias terras exquirere;  
Comitem, & viam solus parat. (Spernit  
Praesertim si longa nimis, diriq; pericli,  
Molestia ac plenissima.  
Sic verè stultus censendus & ille videtur,  
Nec mente sanà peditus.  
Qui sacra contemnit socialis fœdera lecti,  
Qua sanxit orbis Conditor,  
Atq; ita consortem, detrectat habere fidelem;  
Boni, maliq; coniugem.  
Nam quot (proh dolor) hac vita est subjecta pro-  
Mali, quot & periculis? (cellis  
Ergò DEVS, cum summa dies foret addita captis,  
Ac cerneret jam condita,

Atq;

in

Atq; hominem vita consorte carere videret,  
Sic nifi ipse Conditor:  
Non prodest homini ut traducat tempora solus  
Vita sua, absq; conjuge.  
Mox costam exemit lateri stertentis Adami,  
Evamq; fecit virginem;  
Adduxitq; viro primus ceu pronubus, illi  
Dicens tua uxor hac erit.  
Hac sit fida comes tibi, sit tibi dulce levamen,  
Sors quando iniqua te premet.  
Vivite coniuncti socialis fœdere lecti,  
Toro feraci vivite.  
Crescat ut in terris sancti collectio cœtus,  
Qui me colat ritè ac amet  
Quiq; mihi merita cantet preconia laudis,  
Nomenq; ad astra provehat.  
Hac perpendisti, præclarâ, sponse, polite  
Martine, & arte, & moribus.  
Felices igitur Domint qui iussa capessunt  
Poli regit qui sidera.  
Nam Domini pia iussa DEI violare supremi,  
Est impium, & minus decet.  
Et mala contemptum quam tristia sepè secuta  
Sint, sacra testis pagina.

Quis

Quis te igitur, quaso, felicem, sponse negabit,  
Mandata qui colis D E F.

Legitimo & jungis thalami tibi fœdere sponsam,  
Qua fida vita sit comes.

Mutuus writ enim te ignis, sic mutus ardor  
Vrit tuam Emerentiam.

Hac requies lasso tibi erit, tibi dulce levamen,  
Medelaq; in cunctis malis.

Hac, tristis luctus, curarum, saucia corda  
Hac eximet, quicquid gerunt.

Gratulor idcirco tibi de consorte recenti,  
Quævis toro optans prospera.

Qui vestri primus socij fuit auctor amoris,  
Clemens beabit hunc D E V S.

Vorum continens annum nuptiarum literis alphabeticis.

Fort Vna & ser Va, q Væso, sa Cra fœ Dera Le Ctl,

QVæ DV Ce te spons Vs n Vn C, bone ChrIste, sVbIt.

Ernestus Prætorius Cosvicensis.

---

QVæ, neonympe, tibi, socialia festa paranti,

Qua sponsa dulci vota feramq; tua?

In quos rara patrum virtus cum semine fluxit,

Auctaq; materno postea lacte fuit?

Coniu-

Coniugio quicquid fas est optare bonorum,  
Et quacunq; piūm vota ferenda toro:  
Orantes cum voce manus ad sidera tendens  
Hac eadem vestro comprecor ipse toro.  
Lucida muneribus cunmulent vos astra benignis,  
Atq; ferat fructus prodiga terra suos,  
Hortus amœnus aquis cerealia poma ministret,  
Halet odoriferis floribus almus ager,  
Insuper accedat cunctarum copia rerum,  
Nunquam non vester luceat igne focus.  
Pace sub innocua videas, MARTINE, senectā,  
Casti Sponsa tori pignora multa ferat,  
Cana fides, & pax vestrum ambiat aurea lectum,  
Sit vita VERBUM regula certa DEI.  
His sacer ò Flatus, solus connubia jungens,  
Non durus votis annue, queso, meis,  
O ita Nate velis cœlesti cum Patre, verus  
Qui Deus, et purus crimine verus Homo es.

Georgius Rideburgius Servest.

FINIS.

Nov 1996

8

ULB Halle 3  
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M







EPITALAMIA.  
VIRO ET VIRTUTE  
ET DOCTRINA PRÆDITO  
DN. MARTINO ZELIO, CVRIÆ  
secundæ in illustri Soroborum Schola præfe-  
cto, in matrimonium accipienti honestis vir-  
ginem Emerentiam ANDREÆ  
VVOLCKMARI civis o-  
lim Servestani F.  
*Scripta ab Amicis.*



SERVESTÆ,  
Excusa Bonaventura Fabro, Anno 1593.

48  
487

a